

M A R T I A N I

MINEI FELICIS

C A P E L L A E,

A F R I C A R T H A G I N I S S I S.

LIBRI NOVEM.

P A R S P R I O R.

**Apud Franciscum Varrentrapp, librarium Moeno - Francofurtensem, hi quoque U. F. Kopp
libri venales prostant:**

Palaeographia critica, Vol. I — IV in 4to.

pret. 20^h duc. aur.

Bilder und Schriften der Vorzeit, B. I — II.

5

M A R T I A N I
MINEI FELICIS
C A P E L L A E,
AFRI CARTHAGINIENSIS,
DE
NUPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCURII
ET DE SEPTEM
ARTIBUS LIBERALIBUS
LIBRI NOVEM.

Martianus Capella

AD CODICUM MANUSCRIPTORUM FIDEM
CUM NOTIS.

BON. VULCANII, HUG. GROTHI, CASP. BARTHII, CL. SALMASII, H. J. ARNTZENII,
CORN. VONCKII, P. BONDAMI, L. WALTHARDI, JO. AD. GOEZII, HENR. SUSII,
MARC. MEIBOMII ALIORUMQUE

PARTIM INTEGRIS PARTIM SELECTIS
ET COMMENTARIO PERPETUO

EDIDIT

ULRICUS FRIDERICUS KOPP,
HASSUS CASSELLANUS.

FRANCOFURTI AD MOENUM MDCCCXXXVI
PROSTAT APUD FRANCISCUM VARRENTRAPP.

177
P. Soc. U. S.

**THE PENNSYLVANIA STATE
UNIVERSITY LIBRARY**

VIRO
ILLUSTRISSIMO, SPLENDIDISSIMO,
AMPLISSIMO,

ALEXANDRO DAHMEN,

MAGNI DUCIS BADARUM CONSILIARIO INTIMO, PROVINCIAE RHENANAЕ INFERIORI PRAEFECTO,

S. P. D.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PROFESSOR MARBURGENSIS.

Enredit ad Te heredem socii Tui, viri immortalis, extremum opus, quod illum absolvere dira necessitas non est passa, Tu tamen pro insigni Tua pietate et munificentia affectum jacere noluisti, ne quid monumenti interiret, quod ille vel debere se posteritati existimasset, vel gratam olim posteritatem sibi acceptum referre voluisse. Quamvis enim dudum praeclarissimis libris editis non modo aequalibus nomen suum insigniter commendaverat, verum etiam famae aeternitati abunde consuluerat, ipse tamen sibi neutquam satisfecisse videbatur, nisi Martianum Capellam quasi postliminio in philologorum manus reduxisset, cuius multiplicem reconditamque doctrinam quum in

I

elaborandis posterioribus Palaeographiac Criticae partibus cognovisset adamas-setque *), utilissimum scriptorem a Grotii inde actate fere neglectum jacere identidem querebatur, neque melius se validissimam senectutem otiumque omnium rerum affluentissimum collocare posse censebat, quam si vastissimae eruditionis copias, quae sibi etiam post tot libros doctissimos editos integrac restarent, ad horreum illud disciplinarum illustrandum contulisset. Nosti, Vir Illustrissime, mentis animique vigorem, quem rara cum felicitate ad extremos usque aetatis terminos Koppius retinuerat, nosti constantiam, ne dicam pertinaciaim, qua quidquid apud animum constituisset exsequi solebat, neque in hac editione paranda sibi defuit: quam simulatque destinasset, huic cogitationi omnes suas vires impendebat, hanc die noctuque secum volutabat, quidquid ageret, ad Martianum suum referebat, schedas suas vel peregre proficiscens secum portabat; quid multa? adeo significabat nihil sibi magis cordi esse, ut profecto piaculum commisisse videremur, si vel Tu sumtus, quos ille liberalissime erogaverat, negasses, vel ego operam meam, quam vivo pollicitus eram, mortuo continuare detrectassein. Quamquam longe diversa utriusque nostrum causa est: siquidem Tu omni pietatis officio cumulate satisfecisti, ego haud scio an ne illud quidem satis praestiterim, quod vivo Koppio receperam, nedum defuncti in locum dignus tanto nomine vicarius successerim; verumtamen quia et Tu volebas, et ipsae operis incepti rationes sic ferebant, nec me recusante videbani qui tantum laborem imponi sibi pateretur, feci quod potui, sisque habeo illud me effecisse, ut qualem Koppius voluerit totus et integer Martianus post plus quam ducentorum annorum intercapedinem cum apparatu critico et exegetico quali nunquam antea in lucem prodeat; libri ipsius causas tantum exponere mecum erat, patrocinium aliis relinquo, licet rationis reddenda officium nec Koppii nec meam vicem recusare possim. Nam quoniam de me quoqne dicendum esse video, debeo hoc non modo Tibi, cuius singularis fiducia post illius obitum omnein hanc curam meae

*) Ipsius judicium exstat in palaeogr. T. III, p. 272.

unius fidei atque industriae crediderit, verum etiam ipsius viri immortalis memoriae, quem quum ab eo inde tempore, quo Vos me amicitia Vestra dignum existimastis, quasi alterum patrem summa cum pietate atque observantia prosecutus sim, minime deceat eo in negotio destituere, cuius ille merationum consiliorumque omnium fere participem fecerit ita, ut nihil proponendum majoris momenti in tota hac opera praestitum sit, cuius non causas et argumenta ex ipsius ore perceperim, neque universam tantum instituti formam identidem mihi exposuerit, sed de plerisque etiam gravioribus quaestionibus consilia mecum contulerit, ipsasque adeo schedas, quas commentandi causa festinante calamo conscripsisset, perlustrandas mihi commiserit judiciumque meum de iis candidissime efflagitarit. Quod tamen ne jactandi causa me dicere existimes, ut aliquam scilicet operis meritique partem a Koppio in meum nomen transferam, nec Te fugit, Vir Illustrissime, multo illum faciliorem suis in audiendis quam in sequendis aliorum consiliis, utque omnino non consentaneum erat hominem propositi tenacissimum aliena auctoritate ab institutis suis deterreri, ita hoc in negotio haud scio an eadem prorsus res, quapropter ille et operam meam et judicium qualecunque expeteret, simul in causa fuerit ut monitis meis minus quam equidem vellem uteretur. Etenim, ut statim in praefationis limine ingenue profitear, quod etiam non dicente me quivis harum literarum gnarus ex ipso opere cognoscet, non erat Koppius, qualem nunc philologum esse volumus, vel a linguarum, in primis Graecae, interiore notitia, vel a subtilioribus artis criticae atque exegeticae legibus omnino instructus, neque id mirum esse poterit in sene, qui quum robustissimam aetatem negotiis publicis gerendis impendisset, magnamque vitae partem in summo honoris fastigio constitutus inter gravissima munera principumque consilia transegisset, prope quinquagenarius demum turbarum civilium perpetuaeque rerum omnium conversionis pertaesus ad harum se literarum studia contulerit, ac ne tum quidem in una earum parte constiterit, sed totum eruditionis orbem mente sua comprehendenterit, dumque et orientalibus literis

et medii aevi monumentis illustrandis incumberet, usu magis et quadam benignissimi ingenii facultate quam ratione et ordine singularum notitiam sibi comparare potuerit. Multa lectitaverat, multa in adversaria retulerat non minus dispositione quam vastitate insignia, tantumque aberat ut doctrinae mole obrueretur, ut omnes suas copias in numerato haberet acerrimoque cum iudicio dispensaret; eam denique assidua lectione Latine scribendi exercitationem contraxerat, ut etiamsi non ornato et exquisito dicendi genere, tamen perspicuitate et flumine orationis ne philologis quidem doctissimis cederet; at vero rationes, quas vel in explicandis emendandisque priscis scriptoribus vel in rebus historicis aut mythologicis dijudicandis hujus quidem aetatis philologi sequuntur, nec satis cognitas habebat, nec si habuisset probaturus nedum adsciturus esse videbatur. Quippe cum ipsis studiorum suorum argumentis conjunctum erat, ut vetustiores potius auctores, in primis Batavos, quam recentiores lectitaret; quorum eum exemplum hac ipsa in editione adornanda exprimendum sibi proposuisse, vel externa operis forma monstrat, quod quasi extrenum ad illarum editionum seriem accedit, quae ante hos centum et quod excurrit annos Drakenborchiorum, Burmannorum, Oudendorpiorum studiis Lugduni Batavorum cum variorum notis prodierunt. Quaecunque enim ad Martianum illustrandum emendandumve scripta essent, sive recte sive secus dicta esse viderentur, ipsorum auctorum verbis quantum fieri posset integris servatis nominibusque adjectis complecti voluit; neque in editoribus tantum substitit, quorum sane exigua opera ante ipsum in enarrando scriptore omnium difficillimo cernebatur, verum etiam aliorum commentarios, Barthii adversaria, Salmasii exercitationes Plinianas, Arntzenii miscellanea, Vonckii specimen criticum, Bondami varias lectiones, et quoscunque praeterea aliquid in transversu de Martiano annotasse nosset, in usum suum convertit, ipsos denique illas quas iinitabatur editiones diligenter excussit excerptisque; recentiores Martianum parum respexisse notum est, quorum si quem adhibitum videbis, ego plerumque, si quid forte occurreret, Koppio contuli. Hinc autem sequebatur,

ut interna quoque commentarii indoles eorum potissimum ingenium referret, unde materiam operi petiisset; quos etsi minime contemnendos auctores dixerim, hodie tamen satis constat et in docta farragine coacervanda haud raro modum excessisse, et rem criticam non tanta cum cura et diligentia quanta nunc fieri soleat factitasse, et in reprehendendis aliorum sententis justo interdum acerbiores fuisse, neque efficere potui, ut Koppii annotatio his naevis omnino careret; nonnihil quidem resecui vel contraxi, ubi praeter necessitatem sibi indulsisse videretur, sed omnia nequibam, quin color ingenuus virique ingenium periret. Una tantum in re et ipsos illos Batavos acerrime reprehendebat ab eorumque auctoritatibus et exemplis longissime discessit, sed ut simul etiam omnes philologiae rationes susque deque haberet, in lectione inquam conformanda atque dijudicanda, quo in negotio ita plerumque versatus est, ut diplomaticum potius quam criticum cognoscas. Et primum quidem conjecturis uti pertinacissime renuebat: quas licet ipse ex beatissimi ingenii fonte interdum praeclarissimas funderet, tamen Barthiorum et Heinsiorum vestigiis deteritus cane pejus et angue metuebat, ac ne manifestissima quidem lectionis menda sine externa auctoritate corrigere audebat; quod ut in plurimis aliis scriptoribus, quorum melior fortuna fuit, omnino probandum foret, ita in Martiano, quem innumerabilium librarium inscilia corruptissimum ad nos pervenisse constat, sic certe temperandum erat, ut etsi conjecturas, quae opinione tantum niterentur, respueret, correctiones tamen, quae ipso sententiae tenore interna cum necessitate confirmarentur, recipere ne dubitaret. Nam si qua lectio ex orthographiae tantum pronunciandive diversitate orta videretur vel aliunde extrinsecus sive ex ipso scriptore sive ex aliquo fonte, quem ille ante oculos habuisset, corrigi posset, ipse Koppius sine ulla haesitatione emendabat, qua ipsa in re haud scio an interdum audacius grassatus fuerit correxeritque quae non librarium sed ipsius Martiani peccata essent; alias contra mutationes, licet sensus evidenter flagitaret, acriter recusabat, nisi in uno aliquo codice extare vidisset, saepe philologos increpans, qui veteres scriptores pro arbitrio refingerent nec

finem audaciae usquam invenirent. Sed hac in causa nec ego valde ei repugnabam, satius ipse ratus parum quam nimis audaciae ad veteres libros emendandos attulisse, et si quid posteris corrigendum relinquamus, librariorum errores esse quam nostros; sed multo aegrius ferebam, quod nec librorum scriptorum copia, quam habebat, ita eum uti videbam, ut philologorum, quales nunc sunt, desideriis judiciisque omnino satisfacturus esset. Quae res inonet, ut quantum equidem indagare potuerim codicum indicem, quos vel a Koppio ipso vel ante eum usurpatos invenerim, oculis Tuis subjiciam. Primum igitur quos a viris doctis ante Koppium commemoratos novi hi sunt:

1) Vulcanii codices, quorum etsi semel tantum in notis ad §. 805 mentionem invenies, accuratiorem tamen notitiam infra ex ipsius Vulcanii verbis accipies. Praeterea Grotius ad §. 644 Vulcanii se codicem sequi narrat, qui num scriptus fuerit an editus, decernere non audeo.

2) Grotii codex, singulis fere paginis commemoratus; quas praeter hunc appellet membranas (§. 838) optimas (§. 849), quia praefatione ipsius careo, ignoro; codices autem quos aliquoties nominat Basileensem (§. 810. 860. 931), Lugdunensem (§. 644. 860. 931), Veicetinum (§. 644. 772. 860. 931), haud scio an nihil nisi editiones sint antiquissimae Vicentina (1499), Basileensis (1532), et Lugdunensis (1539), quod num recte conjecterim, ii quibus harum ipsarum copia est existiment.

3) Codex Lindenbrogii sive ut Grotius eum appellare maluit Tiliobrogae, quo is in Germania usus esse dicitur (§. 468. 804).

4) Bongarsii codex, cuius lectiones ad duos priores libros ex bibliotheca Bernensi publicavit Walthardus (§. 31. 36, neque aliis esse videtur quem Walthardum in medium protulisse ad §. 19 annotatum est).

5) Barthii codices in Adversariorum libris et commentariis ad Statuum identidem adhibiti. Si non plures, duos certe fuisse colligas ex iis quae ad §. 21. 152. 570 leguntur; unum tamen prae ceteris extollit membranaceum

(§. 22) bonae antiquiorisque notae quam omnes (§. 20), quem et cascum librum ibidem et thesauri instar sibi carum dicit.

6) Vossianus codex quantivis pretii, ut Arntzenii verbis utar (§. 11), cuius ex Miscellaneis ejus lectiones passim Koppius repetit.

7) Bondami excerpta, quibus ille in Variis Lectionibus usus est.

8) Codices quos Salmasius in exercitationibus ad Solinum identidem adhibuit; semel plutarios libros appellat (§. 644), ut Mediceos innuere videatur, alibi (§. 700) tantummodo antiquissima exemplaria se vidisse testatur.

9) Codices antiquissimi Leidenses, quorum passim mentio exstat in notis Oudendorpii ad Appulejum, Munckeri ad Mythographos, Burmanni et aliorum, ut Hemsterhusii quoque (ad §. 905), neque alias esse arbitror, quos fidos appellat Gronovius in loco ad §. 903 allato. Quinque commemorantur in nota ad §. 29, quo tamen numero haud scio an etiam unus alterve sequentium contineatur.

10) Libri manuscripti qui in Wesselingii Itinerariis commemorantur (§. 643. 668. 669).

11) Cauchianus codex a Burmanno commemoratus (§. 903).

12) Codex a Zinzerlingio laudatus in loco ad §. 2 allato.

13) Scriveriani duo a Meibomio ad librum de Musica usurpati, quorum tamen alterum etiam in primo libro (§. 37) ab Oudendorpio excitatum invenies.

14) Wassii codices tres ad §. 651 et 659 commemorati, quorum unus vetustissimus Collegii Corporis Christi Cantabrigiensis appellatur.

Sedulo collegi, quae ex commentariis Koppians peti possent; quae si in nonnullis minus accurate enotasse videar, veniam dabis plerorumque illorum librorum usu destituto; plurima tamen culpa ipsorum virorum doctorum erit, quos constat illa aetate codicum notas neutiquam tanta cum diligentia distinxisse, quantam hodie philologi adhibere solent. Neque Koppius, ut plerumque illos imitabatur, vel de iis codicibus, quorum primus ipse lectiones edidisset, quidquam scriptum reliquit, unde proprius eos quam ex

VIII

annotationibus per commentarium dispersis cognoscere liceat; quodsi de non-nullis saltem accuratiora afferre potui, debeo hoc Federo, Viro illustrissimo atque eruditissimo, Magni Ducis Hassiae consiliario aulico et bibliothecae Darmstattensis praefecto, quem quum olim Koppii in usum aliquos codices in primis Anglicanos contulisse nossem (vide §. 27 et 195), statim postquam a Te certior factus eram, nihil quod ad praefationem aliquam vel prolegomena pertineret in schedis defuncti reperiri, precibus adii, ut quae ipse de codicibus a Koppio usurpati haberet mecum communicaret, neque insignis viri humanitas spem meam fefellerit. Quorum igitur codicum, qui apud Koppium primum commemorantur, a Federo notitiam accepi, hi sunt, omnes, ut ille affirmat, membranacei:

- 1) Bodleianus primus Oxoniensis, formae majoris, characteribus minusculis scriptus sec. XI, in catalogo librorum MSS. Britanniae et Hiberniae numero 1597 insignitus.
- 2) Bodleianus secundus formae quadratae minoris sec. XIII vel XIV num. 3413 art. 5, duos tantum priores libros complectens.
- 3) Mertonianus formae maxima eleganter scriptus sec. XIII vel XIV, in eodem catal. I. 2. (colleg. et aul. cod. p. 23) numero 758 notatus. Hujus raro tantum mentionem facit Koppius (§. 7. 15).
- 4) Britannicus musei regii (§. 92 extr. 151) sec. X vel XI num. 2685 art. 4 in catalogo codd. Harlejanorum in museo Britannico (IV voll. fol. 1808 — 12, cuius tamen collatio sub libri tertii principium substituit.
- 5) Cantabrigiensis, cuius lectiones a Bentlejo editioni Grotianae adscriptas invenit Federus hac nota addita: „MS. bibl. publ. Cantab. 500 annorum“; unde colligit cum esse, qui in catal. MSS. Brit. et Hibern. I. 3 num. 2434 sive publ. 254 insignitus sit, non qui ibidem p. 138 num. 1458 sive coll. S. Bened. 181 extet antiquissimus, quem equidem Wassii potius codicem supra commemoratum esse existimo.
- 6) Denique Darmstattensis, olim Coloniensis, formae quadratae mem-

branaceus, cuius haec descriptio legitur in Cat. codd. MSS. bibl. eccl. metrop. Colon. p. 138: „Cod. 193 alt. 10^o lat. 8 Martiani Minei Felicis Capellae libri duo de nuptiis philologiae et Mercurii, ejusdem libri VII de artibus liberalibus, glossae etc. — liber sec. IX dignus.“ Monet tamen Federus hunc titulum in codice non inveniri, sed in principio quidem hacc legi: „Iste Martianus genero Cartaginensis fuit, studiuit autem primo“ etc., in fine autem: „Martiani Minei Felicis Capellae Afri Cartaginensis de armonia liber nonus explicit feliciter“ addita insuper tabula inscripta: „hi sunt tropi XV hoc est formae canonum qui peraguntur in cithara XXVIII cordarum“, simili ut videtur illi quam Koppius p. 726 ex codice Monacensi exhibuit; practerea non noni sed decimi potius seculi manum videri contendit; recentiorem tamen esse non posse ipsum Koppium colligere memini ex nota Tironiana in glossa ad §. 152 conspicua. Hunc quippe eodicem Federi benevolentia sibi commodatum ipse Mannhemii contulerat; reliqui, quorum pariter ipse lectiones collegisse videtur, hi sunt:

7) Dresdensis, et ipse, si recte comperi, membranaceus, cuius tamen ultra secundum librum mentionem non inveni.

8) Hugianus celeberrimi professoris Friburgensis, pariter ut videtur in fine secundi libri desinens.

9) Basileensis, cuius in duobus prioribus libris passim mentio exstat.

10) Reichenauensis, nunc Carlsruensis, qui secundum Darmstattensem plurimum utilitatis per totum opus praebuit.

11) Ettenheimmünsteriensis, qui pariter nunc Carlsruham translatus est, octavum tantum librum continens.

12) Monacenses, qui septem numero commemorantur, sed ut unus tantum eorum (C) totum opus complecti videatur; aliis (F) in quarto tantum libro commemoratur, aliis (G) intra priores duos consistit; verum et reliquorum collationem non ultra secundi libri finem accurate persecutus esse videtur, siquidem rara tantum in posterioribus eorum mentio exstat (§. 731).

740. 840); primus modo (A), cuius in principio rariissimus usus erat, ad sextum et septimum librum saepius adhibetur.

13) Guelferbytanus, cuius lectiones a Cortio enotatas in margine libri Lipsiensis (§. 7) Koppius invenerat, unde et Cortii variantes interdum appellavit (§. 8. 43): sed hae quoque in fine secundi libri deficiunt (§. 220).

14) Postremo accedunt lectiones in Norimbergensis libri margine ab ignota manu nescio unde enotatae, quarum quuin frequentissima in duobus prioribus libris, tum etiam in sexto hic illic mentio exstat; probae plerumque, sed ut ob eam ipsam causam correctionum interdum potius quam vetustao auctoritatis speciem prae se ferant, licet Koppius eas pari semper cum libris scriptis loco habuerit.

Vides, Vir Illustrissime, haud profecto exiguo apparatu instructum Koppium ad Martianum emendandum accessisse, quem etsi facile arbitror multis praeterea augeri potuisse, quia Martianus scholarum in usum, quibus per aliquot secula unicus fere veteris disciplinae sons erat, multis exemplaribus divulgatus esse videtur, tamen si antiquae et bonae notae codices fuerunt, non exiguum emaculandae lectionis adminiculum erat. Sed hac ipsa de quaestione, quae in re critica factitanda priuaria est, imperfectum tantum et mutilum nobis judicium reliquit, utque nonnulla, quae de codicis suorum aetate et indole fortasse traditurus erat, morte ipsius intercepta sint, facile tamen quivis commentarium ejus lectitans intelliget, pari plerumque auctoritate omnes apud eum fuisse, nec ponderanda modo verum interdum ne numeranda quidem eorum suffragia visa esse. Nam quum duo tantum lectionum genera distingueret, vulgatum et quod scriptis libris continetur, illud quidem, si nullus codex contradiceret, acerrime retinebat, idem tamen, si ita videretur, haud raro ex unius manuscripti auctoritate lectionem reliquorum omnium silentio confirmatam corrigebat; quod ut recte iinterdum fieri nemo negat, temerarium tamen esse omnes concedent, nisi singulorum virtutes accuratissimo examine perpenderis familiasque et classes eorum distinxeris, praesertim quin

aliud periculum sit, quod ipsum Koppius non satis evitasse videtur, ut si quos ipsi codices contulerimus, his quasi paterno quodam amore faveamus eorumque auctoritatem cupidius saepe quam tutius sequamur. Quamquam ne horum quidem, quos aua ipse manu tractasset, lectiones omnes enotavit, sed eas tantum, quas vel in usum suum aliquo modo convertere vellet, vel quarum enotandarum aliquam causam haberet; nec quamvis identidem admonente me adigi poterat, ut plenam et integrum lectionis varietatem exhiberet, quam inter inanes philologorum paleas referebat; quid quod earum quoque, quae in Grotianae editionis margine memoratu haud raro dignissimae leguntur, plus quam dimidiam partem prorsus omiserat, quas si in posterioribus libris paulo diligentius exscriptas invenies, ego hoc mihi sumsi, ne quid mea culpa in amicissimi viri libro desiderari posset. Verum omnino typis expressorum librorum non qualcm debebat rationem habuit; quorum qui Grotianam editionem antecedunt, uno tantum anteriorum vocabulo comprehendit, ut nec quos potissimum inspexerit appareat, et falsa species oriatur, quasi una eademque illorum omnium lectio sit, quam Grotius demum quocunque modo minutaverit; quod longe secus esse vel ex duarum praefationum comparatione apparebit, quarum altera principi altera Vulcanianae editioni praefixa est. Principi enim, quae impressa est Vicentiae a. 1499 per Henricum de Sancto Urso, praemittitur epistola Francisci Vitalis Bodiani ad reverendum in Christo patrem et dominum D. Joannem Chacregatum divina providentia episcopum Catharensem, ubi inter alia haec leguntur: „Verum inter cogitandum me „non vulgaris tenuit admiratio: quum rei impressoriae dexteritate omnes fere „boni codices in lucem prodierint, cur tamdiu delituerit Martianus, quem „impressorum qui cupiditate lucri latebras omnes indagando solent esse dili- „gentissimi, ut quippiam novi, quo magnopere detinent mortales, aucupa- „rentur, nemo ad hunc usque diem attentaverit imprimere; at sumpto Minei „Capelle codicel in manibus illico destiti admirari; quandoquidem eum sic „mea ostendit compiri, ut nec agnoscere auctorem suum posset nec agnosci.

II *

„Itaque ego quoque rei difficultate territus pene retraxi pedem... nisi me „potissimum generosa prudentia et spectata eruditione adolescens Dominicus „Portensis cum quibusdam familiarissimis cohortati fuissent; quibus quum „multa perversa et falsa corrigi et in veram lectionem redigi posse dicerem, „nunquam destiterunt, donec me ut hoc gravissimum et formidandum onus „susciperem perpulere, instantes ut quoad possem excussis priscorum mo- „numentis, unde Martianum fuisse mutuatum arbitrarer, novem ejus vo- „lumina pro viribus emendarem. — — Supra duo milia a nobis loca reposita „sunt, quae ita esse multa et diligentie lectione apud gravissimos auctores „comperimus; reliqua si qua sunt iis reliquimus cognoscenda, quibus major „in Encyclopaedia eruditio majusque supererit ocium“ etc. Vulcanius autem Brugensis, qui Martianum cum Isidoro Hispalensi conjunxit in editione Basileensi 1577, in praefatione ad Gerardum a Groesbeck, episcopum Leodiensem, ita de ratione operis sui disputat: „Arreptis in manus tam excusis quam „manuscriptis Isidori codicibus, quos a multo tempore ex Hispania et Belgico „conquisieram, dedi operam ut cum ab innumeris iisque foedissimis mendis „repurgarem pristinoque suo nitori quoad ejus fieri posset restituerem; hac „autem in parte eam rationem tenui, ut ne temere quicquam immutarem „nisi consentientibus inter se veteribus ἀντιγράφοις et errore ex ignorantia „scribarum vel operarum typographicarum orto manifesto se prodente. Neque „enim eos mihi imitandos censui, qui religiosa quadam diligentia sese jactitantes „(quam tamen potius inanem superstitionem aut ineptam ostentationem appellaverim) ubi plurium codicum manuscriptorum consensu locus aliquis, quem „sensus ipse corruptum esse indicat, emendari potest, priorem tamen cumque „vitiosum textum retinere malunt, et variis lectionibus margines librorum „pariter et lectores onerant. Ego vero hasce varias lectiones non nisi quum „utraque lectio tolerari possit apposui. — — In Martiano Capella eundem „ordinem sum secutus; quem, quum non minus quam Isidorus corruptus „esset, ad vetustissimorum codicum fidem, quos mihi partim typis excusos

„partim manu exaratos clarissimus vir et juvandae rci literariae studiosissimus
 „Basilius Auerbachius J. C. suppeditavit, emendavi, et scholiis partim ve-
 „teribus partim meis illustravi, ne verborum scabrities atque obscuritas, cui
 „duobus praecipue primis libris et reliquorum initii et clausulis studuisse
 „videtur, multos ut hactenus ab ejus lectione derreret.“ Et haec quidem
 in itinere auctumnali, quum unum diem Erlangae versarer, ex illius biblio-
 thecae copiis festinanter exscripsi, ulterius comparando progredi nec tunc
 poteram nec nunc licet, quum praeter ipsas Grotianae editionis plagulas
 resectas, quales typographo Koppius tradiderat, nihil ad manum sit, unde
 de antiquorum exemplarium vel similitudine vel discrepantia judicium faciam.
 Illud tantum conjectura assequi mihi videor, Grotianam maximam partem ex
 Vulcaniana expressam esse, ut si typographi peccata excipias, quibus Grotianus
 textus scatet, multae lectiones, quas Grotio Koppius tribuit, Vulcanium
 potius auctorem habeant, in primis autem pleraque variantum, quas idem
 Grotium in margine posuisse credidit, non aliae sint ab iis, quas Vulcanius
 se, quia ambigua optio esset, in margine adscriptisse ait; quae enim ex suo
 ipsius codice Grotius vel commemoranda vel recipienda censet, plerumque
 in notis demum affert nec raro ipse lectionem a se vulgatam damnat corrigitque,
 ut facile appareat novam illum recensionem nec voluisse nec dare potuisse.
 Verum haec hactenus; quac ideo tantum praemonenda videbantur, ne quis
 hanc editionem ad nostrae aetatis rationes criticas severe exigat falsave specie
 deceptus lector plus exspectet, quam vel ego praestare potuerim, cui furtim
 tantum inter hypothetae specimina corrigenda unam alteramve lectionem ad
 paucorum codicum fidem temere mutatam restituere licuerit, vel septuagenarius
 senex, in quem vel eam ob causam philologis nihil juris sit, quia quaecunque
 haberet sibi non philologorum scholis debuerit. At enim vero si quis ex bono
 et aequo illum existimaverit, facile intelliget, haud profecto contemnendam
 operam Martiano suo praestitisce: multa ex codicibus suis correxisse, quae
 frustra veteres exercuisserent, multa menda aperuisse, quae nemo ad hanc

usque aetatem odoratus esset, multis vel solo interpretandi acumine sensum reddidisse, quibus viri docti violentissima remedia adhibuissent, postremo si nihil aliud certe antecessores suos longissime superasse. Quorum Walthardus (Bernae 1763. 8.) et Goezius (Norimb. 1794. 8.) duos tantum priores libros sine certis rationibus neque idoneis adjumentis instructi leviter modo et inconciue emendatos ediderant, inque plurimis non minus a Grotio pependerant, quam vel Capperonerius, qui librum quintum repetitioni rhetorum Pithoeanorum a se institutae (Argent. 1756) adjunxerat, vel ipse Meibomius, qui librum nonum subjecerat antiquac musicae auctoribus septem a se editis (Amst. 1652. 4.); ipse autem Grotius, qui in integro opere edendo Koppium proxime quamquam plus quam ducentorum annorum intervallo antecessit (Lugd. Bat. 1599. 8.), quatuordecim annorum puer, quamvis praecocis ingenii et adjuvantibus Meursio, Lindenbrogio, ipsoque summo J. J. Scaligero, tantae molis operi neutiquam par fuerat, praetereaque instantibus scilicet nundinis Francofurtensibus typographi operam tam negligenter rexerat, ut et aliis mendis soedissimis et in primis eo interpunctionis genere Martiani oratio inquinaretur, quod obscurissimo scriptori etiam spissiores tenebras offunderet; quo tamen ipso argumento luculentissime appareat, Grotium assequendae Martiani menti parum idoneum fuisse. Si quidem in media interduin periodo orationem abrupit novamque sententiam litera adeo majuscula posita exorsus est, ubi sensus sine ulla intercapidine continuabatur; alibi vero integra vocabula vel coimmata excidere passus est, coque defectu tam parum offendebatur, ut ne in notis quidem lectores de eo corrigendo admonuerit. Hac autem in re ne Koppii editio laboraret, quoniam mihi editoris fiducia correctoris munus trahiderat, quanta potui diligentia curavi, nec nisi paucis in locis, quorum mentionem in margine subjeci *), ita peccatum esse confido, ut sensus turbaretur.

*) P. 254, lin. 15 leg. *sequentum pro sequentem*. — P. 381, lin. 2 leg. *fies profecto, decipula si adstruxeris*. — P. 609, lin. 12 leg. *ὐποτέταρτον*. — P. 624, lin. ult. leg. *si metiretur, repertum id esset, quod requisitum est; nunc non metitur*. — P. 740, lin. 15 leg. *spurhigenae*.

Usum tantum doleo me non ut par erat efficere potuisse, orthographiae constantiam, quam ut omnino Koppium parum curasse supra monui, ita nec in constituenda lectione diligenter servaverat, ut haud raro dubius haererem, utrum ratione an negligentia aliquid vel commissum vel praetermissum ab eo existimare; sero tantum illud mihi sumsi, ut quum editorem revera vacillasse hoc in genere intellexissem, unam certe rationem et meum quaecunque arbitrium sequerer, quamquam eodem tempore alia graviora ingruebant, quae ab his minutis curam meam interdum avocasse facile profiteor. Nam quum hactenus de iis maxime verba fecerim, quae ad Koppii operam recte existimandam pertinerent, iam eo ventum esse intelligo, ut de me quoque aliquanto accuratius loquendum sit; non ut aliquam meam operam jactem, quae ne tanti quidem esse mihi visa est, ut nomen meum vel in titulo operis vel in commentario reliquo virorum doctorum gregi interponerem, sed ut et Tibi et lectoribus rationem reddam eorum, quae me vel Tua voluntas vel meus erga sacerum Tuum amor vel ipsius operis caritas aliqua per consuetudinem contracta in commentario maxime adornando quamvis imparatum multisque aliis negotiis districtum suscipere coegerit. Licet enim initio illud tantum socero Tuo receperisse, ut specimina typographica perlustrarem atque corrigerem, mox tamen inter ipsam operam intelligebam, non ita comparatas esse Koppii schedas, ut integræ hypothetae manibus committi possent; quas etsi vivus ipse mihi tanquam absolutas preloque paratas tradidisset, tamen ingruente torpore senili et præsertim memoria labante non amplius valuerat eam in formam redigere, ut omnia inter se aequabili quodam tenore responderent nec quidquam aut abundaret aut deesset; immo collectaneorum farraginem haud raro alienis locis intruserat, quaecunque extremis temporibus ex aliqua lectione annotasset quoquo modo ad Martianum retulerat, nonnulla bis terve posuerat, in universum autem, ut senes solent, tam profuso orationis genere usus erat, ut si omnia qualia quanta scripsisset typis mandarentur, in duplicem fere molem liber excrevisset nec tamen plus sed fortasse etiam minus ad illustrandum

scriptorem contulisset. Nec ipse renuebat, quo minus hic illic aliquid reciderem vel praetermissum supplerem, meminique, quum novissime ad nos viseret, insignem ejusmodi mutationem, quam in specimine hypotheticō fecissem, valde ipsi probari; quod tamen quum donec ipse viveret inter corrigendas tantum plagulas a typographo madentes fieri posset, in duobus prioribus libris parcius factum est, neque adeo opus erat in his, quos jam ante aliquot annos integro etiam mentis vigore elaborasset, quorumque in argumento mythologico et astrologico ex multo inde tempore accuratius versatus esset; multo magis necessarium erat in reliquis septem, quos quum ipse ideo tantum prioribus adjunxisset, ut integrum Martianum ederet, non quod eorum argumentis multum delectaretur vel liberalium artium historiam apud antiquos data opera cognovisset, vel eam ob causam multo minore cura tractaverat. Non hoc dico, nihil industriae Koppium ad hos quoque libros illustrandos contulisse; nemo me magis, qui ipsius schedas identidem tractavi, incredibilem viri laborem admirari potest, qui in tanto aetatis culmine jejunissimos et frigidissimos auctores, quosque antea vix fando nosset, grammaticos, rhetores, musicos, arithmeticos lectitaverit, excerpserit, et cum scriptore suo ita constulerit, ut spinosissimarum disciplinarum rationes recte eum perceperisse appareat; verum haec omnia enotata potius quam digesta erant limamque extremam desiderabant, qua sola in tanta argumentorum ariditate elegantioribus hominibus commendari poterant; qua de re etsi saepius Koppium monuissem, tamen postremo tacito rei captus suas quales erant prelo committere constituerat. Quapropter dici non potest, quanta me voluptate affeceris, Vir Illustrissime, quod socero Tuo funestissimo casu nobis crepto, quum ad Tuum arbitrium omnis hujus negotii sors rediisset, non modo ad finem illud perduci permisisti, sed etiam mihi cam veniam dedisti, ut immortalis viri monumentum in eam formam redigerem, quae tanti nominis memoria non prorsus indigna esset; quo facto etsi multum mihi laboris accessurum esse videbam, ipsa tamen pietas, qua defuncti manes prosequabar, tale officium detrectare non

paticbatur. Nam si ab integro res instituenda fuisset, multis aliis viros doclos huic negotio administrando longe magis idoneos fore intelligebam; Koppii vero rationes neminem melius quam me notas habere persuasum erat, quas etsi neutiquam omnes probarem, tamen religiosissime servandas arbitrabar, ne, quod illius nomen prae se ferret, alieno ingenio conscriptum videretur, operisve concinnitas ex propositorum diversitate laboraret. Quamvis igitur externam schedarum formam passim refinxerim, alias in brevius contraxerim, aliarum ordinem mutaverim, nonnullas etiam prorsus resecuerim, vestigia tamen ipsarum nonnisi ibi deserui, ubi aut aperte errasse aut ne sibi ipsum quidem constitisse Koppium animadverterem; de meo pauca tantum ex veteribus plerumque scriptoribus adjeci, quae quum ad illustrandum Martianum opportuna essent, illum tamen non adhibuisse viderein, vel quia Graeca sine interpretatione Latina aegre legebat, vel quia nondum ad ipsius notitiam pervenerant. Quo ex genere hic in primis nominandus est Mythographorum, quos primus nuper ex codd. Vaticanis Angelus Majus edidit, tertius, quem nunc probabiliter Magistrum Albericum appellamus *); cuius etsi raram mentionem in commentario invenies, quum plurimus ejus usus in duobus prioribus libris esse debuerit, ob id ipsum hic eum data opera commemorandum duxi; fuerat adeo quum omnes illius locos, qui Martianum spectarent, ad calcem operis subjungere constitueram; sed hoc quidem consilium abjeci ob nimium eorum numerum ambitumque, praesertim quum Bodii merito nunc etiam facilior nostris hominibus aditus ad eos pateat; mentione tamen hominis eo minus supersedere volui, quia praeter ipsum Martianum etiam veterem ejus interpretem Remigium Antissiodoreensem identidem adhibuit, cuius quum commentarii ipsi etiam nunc in bibliothecis lateant **), specimina saltem, quae illic exstant, lectoribus editoribus nostri futuris haud opinor ingrata erunt.

*) Conf. Frid. Jacobs in Zimmermanni ann. discipl. antiqu. 1834. n. 132.

**) Conf. Montfaucon bibl. T. I, p. 92 b; Fabr. bibl. med. aevi T. VI, p. 187; Bruckeri hist. philos. T. III, p. 640.

XVIII

Ceterum non dubito quin me quoque in hoc genere multa praeterierint, qui quum omnino satis imparatus ad hoc negotium accesserim, tum ne postea quidem tantum ei temporis impendere potuerim, quantum rei difficultas postularet. Nosti, Vir Illustrissime, quibus et ipse domesticis calamitatibus conflictatus sim, fere eodem tempore, quo Tu recens eruptum sacerum lugebas, florentissima uxore intempestiva morte amissa; cuius casus perturbatio si quid vestigii in hac quoque opera reliquerit, Tu certe pro humanitate Tua condonabis; praeterea autem tot erant officii academici negotia, tanta variorum generum impedimenta cum munere professorio conjuncta, ut, licet multa quae jam proposita et promissa essent huic pietatis officio postposuerim, plerumque tamen nonnisi feriatos dies ei impendendos habuerim; quod quantam festinationem urgente semper typotheta excitaverit, quum simul et specimina typographica corrigenda et schedae impressioni praeparandae essent, nemo nisi expertus satis existimabit. Omnino ex ea operis forma, qualis nunc prodit, difficultatem laboris, quantam ego exantlavi, nemo satis intelligere potest; quod non ideo dico, ut operam meam ambitiose venditem, sed quo consilio omnia quae hucusque praefatus sum, ut in tanta rerum omnium adversitate lectorum aequanimitatem implorem, ne aut ab editore ipso, sene emerito, exspectent, quod vel integris viribus arduum fuerit, aut vicarium correctorem ut sui juris editorem taxent, qui si illud praestitit, ut propositum operis consilium exsequeretur, susceptac fidei satisfecit. Quanquam sic quoque non minora quam in lectione emaculanda Koppium etiam in commentario effecisse, nemo profecto infitiabitur; qui quum praeter Vulcanii notulas, quas ipse rectius glossas appellavit, et paucas Grotii, quarum adeo partim vere pueriles essent, partim in omnia alia evagarentur, nihil fere, quod alicujus usus esset, ab antecessoribus traditum invenisset, sua ex penu integrum ac perpetuam annotationem reliquit, qua etsi non omnia omnium desideria aquaaverit, tamen primus omnium obscurissimum scriptorem in clariore luce posuisse aditumque ad cum vel mediocriter doctis hominibus aperuisse cen-

sendus est. Nam quod ipse acerrime semper quum in omnibus ut arbitrabatur philologis tum in primis in antecessoribus suis reprehenderat, quod haud raro expeditissimos locos magna eruditionis nube obscurarent potius quam illustrarent, difficiles autem siccis pedibus atque silentio transirent, multis certe in locis, praesertim carminibus, quorum interdum per affectatam scriptoris doctrinam tumorremque dicendi vix sensus appareret, ita evitavit, ut nihil ipsius narrationibus clarior jucundiusve legi possit; neque exiguum eorum numerus est, quibus unus omnium ex profunda sua eruditione vero locutionis vel sententiae fonte aperto lucem atque perspicuitatem affudit. Scriptores Afros, quibus Martiani oratio vel ipsa gentilitate maxime affinis est, Appulejum, Arnobium, alios, identidem in auxilium vocavit, neque imitatores ejus, ut Fulgentium Saxone inque Grammaticum, comparare neglexit; quo in genere licet, si philologus fuissest, aliquanto accuratius versari potuerit, studia tamen viri ne in hoc quidem argumento, quod proprius nostrum est, contemni possunt; ipsum autem liberalium disciplinarum orbem quantum ipse Martianus animo complexus tanto cum doctrinae apparatu illustravit atque auxit, ut, quem in finem olim hilibri ab auctore scripti sunt, nunc demum rursum usurpari legique posse videantur. Et hoc quidem loco exspectare poteras, ut et de ipsis artibus cyclicis, et de Martiani genere, consilio, et auctoritate pluribus agcrem; sed hac ego disputatione editionem operis tamdiu exspectatam etiam amplius remorari nolui, praesertim quoniam videam hac in causa de nonnullis aliter mihi judicandum fore, quam socero Tuo placuerit; qui quoniam scriptorum suum, ut fere fit, cupidore animo amplecteretur, pretium ejus hinc inde certe nimis extulit majoremque ejus quam revera fuisse videtur eruditionem existimavit; quippe si quid apud ipsum cum antiqui scriptoris dicto aliquam similitudinem habere animadvertisset, illico hunc ei ante oculos fuisse conjecit, multarumque rerum, quas ex aliorum libris strictim exscripserit, accuratiorem notitiam haud scio an perperam ei tribuit; qui quanta interdum oscitantia vel optimis auctoribus usus sit, in sexto maxime libro appetit, ubi primarium ejus fontem

Plinium etiam nunc habemus. Totum igitur hunc locum, qui est de fontibus et ingenio Martiani, in aliud tempus differam; unum hoc data occasione moncho, quia neque a Koppio neque ab alio quoquam satis animadversum esse video, multa ex Varrone Martianum petuisse videri, quod non modo ex iis locis apparet, ubi tantum non auctorem illum prae se fert, ut in Dialectica (§. 335), in Geometria (§. 578), et *) in Astronomia (§. 817), verum etiam ex iis ubi ab ipso discedit; nam quod in extremi libri limine (§. 891) Medicinam et Architectonicam a deorum conspectu removet, aperte contra Varronem dictum est, qui quum non de septem sed de novem disciplinis librum edidisset, quorum unum de Architectura fuisse Vitruvius (in praef. libri VII, p. 194 Bip.) testatur, illas quoque duas reliquis septem adjecisse videtur; quae si recte observavi, fieri poterit ut ex Martiano si nihil aliud tamen alias principis eruditionis Romanae reliquias lucremur. Facile tamen patiar alios viros doctos, qui magis in hoc literarum genere versati sint, hanc mihi disputationem praeripere; iterum enim repeto reliquorum studiorum meorum rationes nimis ab illo argumento remotas et fuisse et nunc quoque esse, ut nec quando redire ad Martianum possim sciam, nec majori fiducia olim aliquid me in eo illustrando praestaturum polliceri audeam, quam nunc praestitisse mihi arrogem. Quod forte fortuna ad me delatum fuerat negotium, strenue et sollerter exsecutus esse videor; de operis ipsius laudibus meritisque Koppio quidquam subtrahere religioni duxi; quae si interire nolui quantaque potui externae formae commendatione illustrare studui, satis habeo, si et a Te et quicunque praeterea immortale illius nomen justa existimatione prosequuntur, pietatis me officio satisfecisse neque extreum tanti ingenii monumentum indigne dehonestasse judicatum fuerit. Vale, Vir Illustrissime, mihi que favere perge.

Scripsi Marburgi ipso die Koppii mortis anniversario VII. Kalend. Apr. MDCCCXXXV.

*) Quam enim ibi etymologiam proponit *stellarum a stando*, et ipsam Varonis esse Popma (p. 203 ed. Bip.) ex Cassiodoro annotavit.